Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1781
Quelle:
Copyright:

CODICES CASUISTICI.

DCCXLIII.

U. 633 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 71. 8. min. non una manu, nitide tamen exaratus, et rubricis distinctus Varia continet, quae per ordinem indicari merentur. Initium facit *Poenitentiale* hoc tenore: *Capitulum De homicidiis. Ex penitenciali romano. Fecisti homicidium voluntarie sine necessitate non in hoste* &c. Ita decurrunt Casus cum adsignatione Poenitentiae, prout in *Burchardi Wormat. Decretis* L. XIX. c. 5. edit. *Colon.* 1548. *fol.* 188. et ultimus est: *Operatus es aliquid in die dominica? Si fecisti. III. diebus in pane et aqua peniteas.* Post quem clausula miniata: *Hec omnia de canonibus et de sanctorum patrum sentenciis. et de Jeronimo Augustino. Gregorio Theodoro* (Cantuar.) *et ex penitentiali romano uera collegimus. Et ut nulli necesse sit perire. scientibus et intelligentibus anima-*